



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi**

**Johannes <Climacus>**

**Coloniae, 1583**

**VD16 J 520**

Vita Abbatis Alexandri Cilicis, qui prope mortem à dæmone arreptus est.  
Capvt CLXXXII.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

**D**icebat nobis & hoc de ipso idem venerabilis Dionysius Presbyter, quod die quadam ambulabat senex in finib. villæ Sochus, vbi erat spelunca ipsius, ambulansq; leonem vidit ingentem è regione venientem. Pergebat autem in via valde angusta inter duas sepes posita, quibus agricolæ rura sua munire consueuerunt, spinosas frutices plantantes. Tantam verò semita illa præsentibus angustiam habebat, vt vix vnum aliquem vacuum, & expeditum pedibus incedentem susciperet, & ne illum quidem sine impedimento liberè transire permetteret. Cùm ergo sibi inuicem appropinquassent senex, & leo, neque senex retro redijt, vt leoni transitum liberum daret, neq; propter nimias semitæ angustias leo reuerti poterat, neq; vtrumq; simul transire omnino possibile erat. Videns igitur leo Dei seruum procedere volentem, & nequaquam retro redire sustinentem, erexit se in posteriores pedes, erectusq; stans ad leuam senis, pondere, ac virib. corporis repulsa maceria, modicam seni latitudinẽ præstitit, iter sine impedimẽto iusto viro præbens. Atq; ita transiuit senior dorso leonis perficans. Post cuius transitum exurgens de sepi leo peregit & ipse iter suum.

**A**D hũc Abbatem Ioãnem pergens frater quidam, cùm nihil in spelunca illius inuenisset, ait seni: Quomodo hic moraris, pater, non habens q̄ sunt necessaria? Respondit senex, & ait Spelunca ista, fili, spiritualis mercatura est. Dat, & accipit.

*1* Ecce quomodo etiam immanes bestie sanctos Dei recognoscunt, eisq; beneficia impendunt.

*Vita Abbatis Alexandri Cilicis, qui prope mortem à demone arreptus est.*



**P**R O P E sanctam Bethleem monasterium  
sancti Sergij. In hoc pater fuit Abbas Euge-  
nius, qui postmodum Episcopus Hermopo-  
lis factus est in Aegypto. Hic, cum ad eum venis-  
semus, narrauit nobis de Abbate Alexandro Ci-  
lice, quod cum inter speluncas sancti Iordanis  
fenuisset, accepit illum in monasterio suo. Qui  
circa finem vitæ suæ lectulo decubuit quasi men-  
ses tres. Ante decem verò dies, quàm migraret ad  
Dominum à dæmone arreptus est. Et cepit senex  
ad dæmonē dicere: Ad vesperā venisti, miser, hoc  
magnum non est. Quoniam in lectulo deuinctus  
sum, & moueri non possum, ostendisti, miserri-  
me, imbecillitatem tuam. Nā si potens, & valens  
esses, sante hos quinquaginta vel sexaginta annos  
debueras appropinquare mihi, ego enim per con-  
fortantem Christū ostendissē tibi infirmitatē tu-  
am, ac deiecissē rugitum tuum, atq; contriuis-  
sem rigidam illam tuam, inflexamque circūcem.  
Nunc autem non mea est imbecillitas, sed infir-  
mitas est, quæ præmit me. Gratias tamē ago Deo,  
ad quem proficiscens, ostendam iniuriam, quam  
abs te passus sum, quia post tot annorum labores,  
& fatigationem circa exitum sic atrociter in me  
inuasisti. Ista, & alia plurima horis singulis dicē  
decima die cum omni quiete Domino Christo  
spiritum in pace reddidit.

*Mirabile factum senis Aegyptij, nomi-  
ne David.*

**D**ICEBAT Abbas Theodorus Cilix. Cum  
adhuc morarer in Sciti, erat illic senex Aeg-  
gyptius, nomine David. Qui die quadam ad me  
tendum